





10  
1721, 116  
199

CASUS PRACTICUS  
IN PUNCTO  
**SUCCESSIONIS FEUDALIS**  
IN FEUDO FOEMININO.

CUJUS RESOLUTIONEM  
LOCO

DISSERTATIONIS INAUGURALIS 12  
ADJUVANTE DIVINI NUMINIS GRATIA  
AC INDULTU AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS IN PER-  
ANTIQUA AC ILLUSTRISSIMA

**EBERHARDINA**  
SUB PRÆSIDIO

VIRI PRÆNOBILISSIMI, CONSULTISSIMI, ATQUE  
EXCELLENTISSIMI

**DN. GABRIELIS SCHWEDERI,**

J. U. D. & Antecessoris, Sacr. Cæsar. Palatii Comititis,

Serenissimi Ducis Wirtemb. Consiliiarii, atque Primarii ex Jctorum or-

dine in supremo Appellationum Tribunali Assessoris, Placitorum

feudalium & Juris publici Professoris Ordinarii, nec non

h. t. Rectoris Magnifici Universitatis

Tubingensis.

FAUTORIS ATQUE PATRONI SUI OMNI HONORIS CULTU  
NUNQUAM NON DEVENERANDI

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

AC PRIVILEGIA DOCT. RITE ET LEGITIME

CAPESSENDI

ad diem *XV* Martii Anni *MDCXXI*.


in Auditorio consueto

publico Eruditorum examini submittit.

**JACOBUS HENRICUS TAFEL, Tub.**

Typis Jo. CUNRADI REISII, Viduæ.





Casus in puncto successione Feudalis in Feudo scemininō  
nobis ad resolvendum propositus.

**T**ITIIUS fata sua explevit & ex-  
tremo clausit die, cum opima  
hereditate Feudum à Majoribus  
per successione in ipsum de-  
volutum, duosque filios, CA-  
JUM nempe ac SEMPRO-  
NIUM, relinquens, ex quibus natu major CA-  
JUS Patri in feudo isto antiquo successit, post ali-  
quod verò temporis intervallum in anno nempe  
CIXDCL. & ipse sine masculis unica relicta filia, CA-  
JA nimirum, decessit, quæ undecimo vel duodeci-  
mo post mortem Patris anno dein genuit filium, no-  
mine MEVIUM. Alter TITII filius natu minor,

A 2

SEM-

**SEMPRONIUS**, qui defuncto fratri **CAJO** supervixit, in an. **CIODCLXX**. etiam mortuus est, ex prædefuncta filia unica, **SEMPRONIA**, nepote; **JULIO** nominato, qui an. **CIODCLXIX**. vitæ humanæ licenam ingressus, relicto. Ex quo factæ sequentes exsurgunt quæstiones ex Jure Feudali Longobardico, quod à Seculo **XIV**. in vim Juris communis in Germania invaluit, & in causis Feudalibus receptum, decidendæ.

**I.** Num post mortem **CAJI**, filia illius **CAJA**, an verò superstes ejus frater, **SEMPRONIUS**, ipsi in feudo isto antiquo, sive id masculus aut fœmina tantum, sive masculus & fœmina simul, ab initio per primam à Domino de eo factam investituram, acquisiverint, adeoque feudum fœmineum mixtum, ut **Dd.** appellant, sit, de jure succedere debuerit?

**II.** An post obitum **SEMPRONII**, illius filia, **SEMPRONIA**, si hoc casu adhucdum in vivis fuisset, & non jam ante Patrem festinantem animam fato tradidisset, ipsumque morte prævenisset, vel prædefuncti ipsius fratris **CAJI** filia, ad successionem in illo feudo admittenda fuisset?

**III.**

III. Uter jam ex duobus illis masculis ex CAJA & SEMPRONIA natis potiori jure gaudeat, & alteri in successione feudi istius præferendus, MEVIUS *ne* JULIO, *an contra* JULIUS MEVIO?

De tribus proposito nobis casui subjunctis quæstionibus sententiam nostram juri omninò consonam, præmissis ad Sanctissimum in cælis Numen pro ductu in tramite veritatis & justitiæ votis, omnibus & singulis facti propositi circumstantiis probè perpenſis, paucis aperiemus. Quantum ergò attinet primam quæstionem.

Num post mortem CAJI, filia illius, CAJA, an verò superstes ejus frater, SEMPRONIUS, ipsi in feudo isto antiquo, sive id masculus vel fœmina tantùm, sive masculus & fœmina simul ab initio per primam à Domino de eo factam investituram acquisiverint, de jure succedere debuerit?

Probabilem hîc capimus conjecturam, sine dubio præsupponi in casu feudi a solo masculo primùm acquisiti, adjectum statim primæ investituræ pactum, quo fœminis de futura Successione prospectum, aliàs enim quoad feudum à masculo quæsitum quæstio proposita ferè Domitiana esset, cum vel lippis ac consoribus notum sit, in Feudis à masculis primitus acquisitis

nullum fœminis cum progenie suâ masculini etiam sexus dari locum, citra expressum investituræ adjectum pactum: Ut, masculis nunc & olim deficientibus, fœminæ etiam admittantur.

Ex 1. F. §. 3. verbis: *Hoc autem notandum est, quod licet filia, (peræquè) ut masculi patribus succedant legibus, (h. e. Jure Civili Justiniano in allodiis, ut constat ex l. 4. C. de liber. præterit. l. 14. C. de legit. hered., & Nov. 118. c. 1.) tamen (moribus Longobardorum & consuetudine feudali) à successione feudi removentur & c. 1. F. 8. §. ult. 2. F. 2. §. ult. 2. F. 11. 2. F. 50.*

ob rationes varias explicatas

à Rittershusio *Part. Jur. Feud. l. 1. c. 14. q. 1.* Ludwello *de Success. feud. cap. 2. p. 148. seq.* Wurmlero *tr. de feud. improp. cl. 3. sect. 3. n. 75. seqq.*

2. ne tum quidem, cum feudum masculo pro se & heredibus suis concessum, quia Jure Feudali appellatione *heredis* fœminæ non continentur, sed tantum masculi

*1. F. 13. 2. F. 34. §. 2. vers. profecto & c. 1. F. 18. §. si aliquis. 20. 26. §. fin. Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 9. aph. 8. n. 12. Suev. Ex. Feud. 6. assert. 4. 5. Schrader. de feud. part. 7. c. 4. n. 31. Rosenthal. cap. 7. concl. 31. n. 4. Klock. tom. 2. conf. 32. Carpz. p. 3. c. 28. d. 9.*

3. vel masculus feudum acceperit *pro se & liberis suis*, item *pro se ac descendantibus suis*, quia & liberorum ac descendantium appellatione, in materia differenti, ut in feudo, masculi saltem veniunt, secus atque in indifferenti.

Schra-



Schrader. *d. c. 4. n. 40.* Rosenthal. *d. concl. 31. n. 4. 5.*  
 & *lit. m. ac q.* Nicol. Mozz. *de substant. feud. n. 81.* &  
 96. Vultej. *lib. 1. c. 9. n. 32.* Menoch. *conf. 473. n. 65.*

aut feudum etiam masculo ac generi ejus datum sit, item ipsi 4.  
 & posteritati ejus, quia hæc quoque verba cum similibus, secun-  
 dum subjectam materiam accipienda, & de masculis eorumque  
 progenie intelligenda

*arg. l. 83. in fin. ff. de leg. 3.* Curt. Jun. *de feud. part. 3.*  
*membr. 1. n. 29. seq.* Thom. de Marinis *tr. de gen. &*  
*qualit. feud. tit. 11. de feud. femin. n. 44.* Hier. Garzo-  
 nius *tr. de femin. ad feud. recip. vers. Primo itaque & c.*  
 & *vers. Trigesimo secundo & c.* Ludwell. *tr. de success.*  
*feud. c. 2. p. 153.* Rosenthal. *d. l.*

Et hinc nec in feudo, de quo masculus & fœmina (v. g. duo 5.  
 conjuges) simul uno actu investiti sunt, fœminæ admittuntur  
 ad illam feudi partem, quæ masculo (patri) obvenit, & per  
 simultaneam illam investituram acquisita est, quia illa portio  
 feudi masculini qualitatem habet. Quando enim masculum  
 & fœminam, (duos conjuges v. g.) simul uno actu de feudo  
 aliquo investiri contingit, suas ipsi in eo consequuntur portio-  
 nes, & cujuslibet portio separatam suam induit qualitatem,  
 masculi nimirum qualitatem masculini, fœminæ verò fœminini  
 feudi qualitatem nanciscitur, proinde si decedentes conjuges  
 post se relinquunt tantum filiam, ea in parte matris saltem sus-  
 cedit, patris verò portio ad dominum revertitur.

2. Feud. 85. & 104. Carpzov. *Diss. feud. 2. th. 4.* Wurm-  
 fer. *de feud. impropr. cl. 3. sect. 3. n. 63.* Struv. *cap. 4.*  
*aph. 17. n. 4.* Ludwell. *Synops. Jur. Feud. c. 4. p. 68.*

Sup-

6. Supposito verò eo, feudum hoc quæstionis primitus vel à fœmina & masculo simul, vel à fœmina, aut a masculo tantum, sed cum illo pacto fœminis de futura successione prospiciente investituræ expresse adjecto, acquisitum, adeoque fœminas vel ex ipsius feudi natura, vel ex adjecto primæ investituræ pacto paratum ad successorem habere aditum, non tamen possumus ex Juris Feudalis analogia & communibus ejus principiis
7. aliter ad quæstionem propositam respondere, quàm quod post mortem CAJI in feudo quæst. à Majoribus ipsius jam acquisito, & in paternarum rerum divisione illi assignato, superstes ejusdem frater SEMPRONIUS *optimo maximo jure sibi successorem vindicaverit, filia verò CAJI minimè sibi, SEMPRONIO, seu masculo à primo acquirente descendente, adhuc existente, jus succedendi in eo arrogare potuerit.* Cum certi & indubitati hactenus (quippe tot præjudiciis rerumque in summis & imis Imperii, aliorumque Regnorum Tribunalibus & curiis judicatarum exemplis comprobati ac confirmati) sit juris, quod, licet fœminæ tam in feudo à fœminâ primam originem trahente, quam à masculo quidem acquisito, eo tamen pacto, ut & fœminæ juris succedendi in eo capaces forent, ad successorem admittantur.

*1. F. 1. §. 3. verbis: nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat. 1. F. 8. §. 1. 2. F. 11. 23. 30. 50. Borcholt. de feud. c. 7. tit. de success. n. 66. 69. Schrader. p. 7. c. 4. n. 48. Struv. c. 9. aph. 8. n. 5. Sonsbec. de feud. p. 9. n. 127. 128. Richter. de Success. ab intest. sect. 1. membr. 1. n. 30. seqq. Carpzov. p. 3. c. 28. d. 10.*

hîc quidem vi pacti illius specialis primæ investituræ expressè adjecti, illîc verò ex singulari natura & proprietate feudi primâ

mā in constitutione, per gratiam à Domino sciente fœminæ factā, ei inditā, ex tacitā concedentis & acquirentis voluntate, quæ hæc utique esse præsumitur, ut cum semel ejus capax fuerit fœmina, qualitas ista etiam tamdiu, quamdiu feudum consistet, ei inesse & perdurare, fœminæque ob eam & in futurum illius capaces esse debeant, etsi id specialiter in primā investiturā dictum, cautumve non fuerit.

2. F. 30. verbis : *Si fœmina habens feudum decesserit, quia fœmineum est feudum, & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Obertus & Gerhardus. Carpzov. Disp. Feud. 5. th. 46. Sævus Ex. Feud. 6. assert. 5. Finckelthus. Disp. Feud. 6. th. 29. Ludwell. de success. feud. p. 91. Wurmser. de feud. impror. cl. 3. sect. 3. n. 42. seqq. Vulrej. lib. 1. c. 9. n. 46. Hartm. Pistor. l. 2. q. 34. n. 20. 21. 24.*

Quod enim Ifernias, Jac. Alvarottus, Matthias de Afflictis 9.  
ad d. tx. 2. F. 30.

prodiderunt, nec in hoc propriè & strictè sic dicto fœmineo feudo fœminas aliter succedere posse, quam si id ab initio in prima investitura nominatim dictum, pactumve sit

*vi alleg. tx. 2. F. 30. ibi: Alii vero dicunt, nisi per pactum speciale ad eas non pertinere; sicut si datum esset filio masculino: quia si ideo quod est fœmineum sine pacto transit ad feminas: eadem ratione quia est fœmineum transit in fœmineam prolem, etiam masculis extantibus: quod est falsum &c.*

minimè ferendum est. Nam illis verbis non rejicitur ibi priori loco relata opinio Gerhardi & Oberti, contrariaque confirmatur, 10.  
B ut

ut ipsi sibi imaginantur, sed Compiler Oberti & Gerhardi opinionem loco priori ita refert, ut etiam approbet simul, disertè enim dicit, quod si fœmina habens feudum deeedat deficientibus masculis, illud pertineat etiam ad filias sine speciali pacto, additâ hac ratione, quia feudum fœmineum est. Contrarium vero dissentientium opinionem posteriori loco tantum refert, non etiam approbat, *alios ita dicere* inquires. Nec quod mox subjicit: *quod falsum est,*) ad sententiæ dissentientium à Gerardo & Oberto confirmationem pertinet, sed ad consequentiæ formati ab ipsis contra Gerhardi & Oberti sententiam argumenti, (quod hoc: Si feudum fœmineum ex sua conditione & qualitate sine speciali pacto transit ad fœminas, transibit etiam ad eas existentibus masculis. Posterius autem hoc est falsum. E. & prius falsum erit.) negationem, & sunt adeo illa verba authoris capituli, horum dissentientium a Gerardo & Oberto opinionem improbantis, iisque hoc innuere volentis, non esse idoneam consequentiam: si feudum sine pacto transit ad fœminas, quia est fœmineum feudum, eâdem ratione transibit in fœminas, masculis etiam extantibus, quoniam ut non transeat in fœminas, masculis extantibus, feudum fœmineum, alibi jure feudali cautum.

*1. F. 8. §. 1. verbis: vel nisi investitæ fuerint. 2. F. 104. in fin. ibi: in cæteris priorum sententia sanè sequenda est, &c.* quibus verbis clare hoc designatur, quod si conjuges simul de feudo aliquo investiti reliquerint filiam & filium ex ipsorum matrimonio procreatos, obtinere debeat eorum sententia, qui existimantes, filium præferendum filię, pro illo pronunciarunt, ex eâ ratione, quod & in fœmineis feudis fœminæ tum de-

mum

num admittendæ, cum masculi deficiant.

Sicuti textum *d. cap. 2. F. 30.* ita rectè acceperunt, sicque interpretati sunt magno numero allegati

ab Hartm. Pistor. *d. l. 2. q. 34. n. 20.* quos & ipse sequitur *n. 24.* clarius ac latius illorum mentem exponens.

Et sanè illi *Iserniæ*, *Alvarotti* sententiæ aperte refragantur

*Textus 2. F. 11. 2. F. 50.*

in quibus, ex professo de Successione feudorum agitur & fœminis jus succedendi denegatur, additâ duplici hac limitatione, primò nisi feudum ejus conditionis sit, ut fœminæ ad successionem admittantur, h. e. nisi feudum fœmineum sit, vel feudum eò pacto acquisitum sit. Jam si speciale pactum & in feudo fœmineo requireretur, sequeretur, feudum fœmineum, & ex pacto ad fœminas transiturum, esse unum & idem. Sed hoc falsum est per *dd. txx.* ubi feudum fœmineum h. e. à fœmina primùm per investituram acquisitum aperte & clare per particulam disjunctivam *vel* ab eo, quod à masculo acquisitum ex pacto ad fœminas pertinet, separatur, ac ut diversum distinguitur, disjunctionis enim illius hæc est natura, ut ponatur inter ea, quæ diversa sunt, eundem tamen habent effectum, sed ex diversa causa fluentem.

*l. 1. ff. de reb. dub. Rosenthal. c. 7. concl. 35. n. 8. lit. C.*

Ne dicamus, quod, quicquid ex natura rei inest, haud amplius speciale desideret pactum, cum hæc etiam JCili sibi <sup>13.</sup> invicem opponantur, inesse ex natura negotii, & inesse ex speciali conventionem seu pacto, ita, ut illud semper inest, sive de eo expressè convenerit, sive non, hoc non nisi convenerit.

B 2

Cum

14. Cum igitur feudo foemineo id ex natura rei infit, ut foeminae illius sint capaces 2. F. 11. 50. non opus erit speciali pacto. Attamen tum demum foeminis in utroque illo feudo locus fit, si tempore delatae successione nullus plane ex eo cave, qui quæve investituram primum accepit, descendens amplius adfit masculus. Namque si masculus aliquis à primo acquirente per legitimam nativitatem sanguinem trahens delatae successione tempore adfit, vel etiam in utero matris adhuc dum lateat, qui quoties de commodo ejus quaeritur, pro jam nato habetur.

vid. l. 26. ff. de stat. hom. l. 178. ff. de reg. jur. Boc. de Invest. cap. 5. n. 57. & de success. feud. cap. 3. q. 8. Vultej. l. 1. c. 9. n. 50. Hartm. Pistor. lib. 2. q. 35. n. 11.

is foeminam concurrentem omninò excludit vel suspendit, ac si posterior deinde vivus in lucem editus, eam pariter à successione excludit.

2. F. 17. ibi: *Non enim patet locus foemina, in feudi successione, donec masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus. add. 1. F. 8. §. ult. verbis: Filia vero non succedit in feudo nisi investitura fuerit facta in patre, ut filii & filia succedant in feudum, tunc enim succedit filia filiis non extantibus.* 2. F. 13. verbis: *Titius a Sempronio talem investituram accepit feudi, ut haberet ipse & heredes sui legitimi masculi & iis omnibus deficientibus, foeminae &c.*

2. F. 18. ibi: *ut quamdiu ipsi vel eorum heredes masculi viverent, & masculis deficientibus, foeminae, si superessent, feudum haberent.* 2. F. 30. ibi: *quia foemineum est feudum & sine pacto speciali deficientibus*

*filiis*

filiis masculis ad filias pertinebit. 2. F. 51. §. *similiter* & c. 3. verbis: *similiter si quis investitus fuerit de feudo, ita ut ad foeminas transiret, & duas filias tantum reliquerit, quarum una filium habeat & altera filiam: utrum post mortem illarum masculus tantum feudum habere debeat: Secundum Gerhardum Masculus tantum, Obertus contra & e contra, si filios ille habuerit.* 2. F. 104. Hartm. Pistor. l. 2. q. 34. & 35. per tot. Rosenthal. cap. 7. concl. 35. n. 10, seqq. & concl. 39. n. 4. ac concl. 40. n. 5. 6. Schrader. p. 7. c. 4. n. 60. Vultej. l. 1. c. 9. n. 49. ibique longa ferie allegati. Carpzöv. *Disp. Feud. s. th. 55.* & in *JPrud. For. p. 3. c. 28. d. 13.* Struv. cap. 9. aph. 8. n. 5. Rich- ter de *succeß. ab intest. sect. 1. membr. 1. n. 31.*

etiam si foeminae in prima feudi concessione masculo facta per 15.  
copulam ET vel ei æquipollentem CUM masculis sint con-  
junctæ, ita, ut feudum ipsi concessum sit pro se & hæredibus  
suis, masculis ET foeminis, seu masculis cura foeminis, quia Par-  
ticularæ ET, CUM, (quæ eandem habent vim, ut apparet ex  
l. 36. §. 2. de leg. 1. l. 40. de usufr. leg. l. 8. de usufr. accresc.)  
copulant quidem personas principales hoc casu, non tamen quoad  
effectum simultaneæ successionis, sed tantum quoad ordinem  
successivum, feudorum naturæ convenientem, ut scilicet foeminae  
succeedant non existente masculo ex eo, qui primus de feudo in-  
vestituram accepit,

per 1. F. 8. §. 1. ubi dilucide cautum in casu, quo  
quis pro se & heredibus masculis & foeminis investitus  
fuerit, foeminas demum masculis non extantibus suc-  
cedere. Thom. de Marinistr. de gener. & qual. feud.  
tit. 11. n. 30. Vultej. d. c. 9. n. 49. Ludwell. *Synops.*  
c. 9. pag. 194. & tr. de *succeß. feud. cap. 6. pag. 274.*

Suev. Ex. 6. assert. 6. Wurmser. cl. 3. f. 3. n. 470. Carpov. Disp. feud. 5. th. 56. qui tamen sibi contrarius p. 3. c. 28. d. 14. & lib. 6. resp. 72. cum Struv. d. aphor. 8. n. 13. & Rosenthalio c. 7. concl. 41. n. 4. seq. Dictionem CUM fortiorem conjunctionem inducere quam voculam ET, ac proinde si feudum concessum sit Masculis cum foeminis, eas una cum masculis admitendas esse tradit. Quod se nobis & antea allegatis Authoribus non probat, nisi pacto primae investiturae adjecto hoc expresse actum appareat, ut foeminae pariter cum masculis succedant, beneficio nempe diserte eo tenore ac forma dato, ut foeminae simul cum masculis, vel sicut masculi in eo succedant. Cum enim ea investiturae forma non saltem concessionis modum referat ac contineat, sed ipsum successionis modum quoque exprimat, & dictio SIMUL CUM, SICUT, succedendi modo determinandi illius causa apposita sit, exinde de mente agentium a communi feudorum jure recedendi abunde constare potest, & foeminis per eam satis de simultaneo succedendi jure prospectum intelligitur

*arg. l. 8. in fin. de usufr. accresc. Maurit. p. 2. Conf. 2. n. 7. 8.*

16. Ubi autem formula investiturae tantum complectitur modum concessionis, de modo succedendi autem nullam facit mentionem, nec quidquam determinat, vix satis de animo a juris communis dispositione, & recepto in feudis, proprie & usu sic dictis, foemineis ordine successivo, recedendi, constat, proinde tutius ibi inhaerebimus communis juris feudorum (cui se utique semper indu-



dubio tam Dominus concedens, quam vassallus acquirens conformare voluisse præsumitur; Dominus quidem, ut masculos potius ad servitia sibi præstanda obstrictos haberet pacis bellicque tempore: Vassallus autem primus acquirens, quia ipse magis masculis ex se descendentibus, quam mulieribus, splendoris familiæ suæ conservandi causa prospexisse censetur.

*arg. l. 69. §. fratre ff. de legat. 2.  
l. 38. §. mater filios. ff. de leg. 3.)*

regulæ: Non patet locus fœminæ in feudi successione, donec masculus ex primo acquirente descendens superest

*2. F. 17. Bocer. de success. feud. cap. 3. qu. 41. 42.  
Ludwel. tr. de success. feud. p. 279. Bechmann.  
Uf. Pr. Jur. Feud. Ex. 8. p. 214. ubi hoc præjudiciis  
Jctor. Lips. confirmat.*

cui & tum locus, si primus acquirens feudum pro se & heredibus 17. utriusque sexus acceperit, quia etsi hoc casu fœminæ nomine colectivo vocatæ sint, tamen ordo delectus censetur, & ipsæ in defectum masculorum, adeoque ordine successivo, ex natura feudi tantum etiam vocatæ videntur

*arg. l. 32. §. in fideicommissio. ff. de leg. 2. Rosenthal. d. concl. 40. n. 14. Sehrader. d. cap. 4. n. 66. Fachin. l. 7. contro. c. 42. Bocer. d. l. q. 40.*

Nec aliud obtinet, etsi feudum jam semel aut aliquoties ad fœminas transierit, nam licet successionem feudalem ex pacto investituræ semel aut aliquoties ad fœminam delatam ponamus, non tamen propterea deinceps fœminas una cum masculis succedere 18.

dere, sed à masculis, utut per fœminam descendantibus, excludi, evidentissimè probatur per

*ix. 2. F. 17.* ubi quis acceperat feudum eo pacto investituræ adjecto, ut si liberos masculos deficere contingeret, fœminæ in eo succederent, & mortuus deinde sine masculis, tantum relicta filiâ, adeoque conditio extitit & filia vi pacti illius in feudo patri successit. Obiit postea & ipsa relicta duobus filiis, qui ambo in feudo matri successerunt. Reliquit deinde alter horum filium, alter duas filias. Orta igitur est inter hos tres patruales contentio, masculo totum feudum ex prærogativa sexus & natura feudorum sibi vindicante, fœminis vero medietatem feudi, quam ipsarum pater reliquerat sibi ex pacto investituræ primæ adjecto, vigore cuius, postquam semel masculi defecerunt, & feudum ad fœminam transit, nunc & deinceps non minus ad fœminas, quàm ad masculos, extincta horum prærogativa, pertineret, defendentibus. Sed pro masculo pronunciatum, eique totum feudum adjudicatum fuisse refert J. C. Feudista.

19. Imò, quod diximus de fœminis, demum deficientibus masculis, tam in feudo fœmineo stricte sic dicto, quàm ex pacto ad eas transituro admittendis, in tantum procedit, ut licet fœmina proximo gradu in linea descendente attingat defunctum, masculus verò, qui cum fœmina de successione contendit, non sit ejusdem lineæ cum defuncto, sed ex transverso in aliâ linea, atque adeo gradu longe remotiori constitutus, nihilominus hic fœ-

foeminam illam excludat, modò cum defuncto descendat ex communi stipite, qui primò de feudo fuerat investitus

per rx. proxime citatum 2. F. 17. 51. S. *similiter* & c. 3. Hartm. Pistor. p. 2. q. 35. n. 18. *seqq.* Fachin. lib. 7. c. 44. Rosenthal. c. 7. *concl.* 39. n. 3. 4. Schrader. d. p. 7. c. 4. n. 63. Boer. *de invest. cap.* 5. n. 58. & *de success.* feud. c. 3. q. 9. Struv. *cap.* 9. *aph.* 8. n. 9. *seq.* Vultej. d. c. 9. n. 66. 67. Carpzov. p. 3. c. 28. d. 13. n. 10. Klock. Tom. 1. *Conf.* 7. n. 876. & *vol.* 2. *Conf.* 14. n. 26. Ern. Cothman. *vol.* 5. *Conf.* 4. n. 187. Gædd. *vol.* 4. *Conf.* Marp. 26. n. 145. Bechman. *Uf. Pract. Jur. Feud. Ex.* 8. p. 209.

Quapropter jure meritoque in casu præfenti post mortem CAJI illius frater SEMPRONIUS sibi successione in feudo quæstionis, quod CAJO in rerum paternarum divisione obtigerat à Patre, in quem successione jure jam à Majoribus devolutum erat, sive à masculo & foemina simul, sive à foemina aut masculo tantum, cum pacto tamen foeminis jus succedendi tribuente, primitus acquisitum fuerit, asserere potuit, CAJI vero filia nullo juris communis colore ac prætextu sibi eandem vindicare valuit.

In secunda quæstione:

An post obitum SEMPRONII, illius filia SEMPRONIA, si hoc casu adhucdum in vivis fuisset, nec Patrem suum morte jam prævenisset, num verò prædefuncti ipsius fratris CAJI

C

fi-

filia, CAJA ad successionem in feudo illo admittenda fuisset?

Primo intuitu videri posset post SEMPRONII mortem CAJI filiam CAJAM in successione SEMPRONIAE, si adhuc vixisset, præferendam fuisse, idque ex sequentibus rationibus:

1. I. Quod CAJA post mortem Patris sui per SEMPRONIUM ex masculini sexus prærogativâ quidem exclusa fuerit ab actu succedendi, non verò ab ipso jure successionis ex primâ investiturâ, vel fœminâ, vel masculino cum pacto, ut & fœminâ deficientibus masculis admittantur, factâ, quæsito, sed hoc ei in suspenso manserit, donec masculus aliquando non existeret, sicque revera ipsa potius existente SEMPRONIO, interim non
2. admittâ, quam exclusâ. Constat enim ex æquiori, & veriori, ut nobis videtur, sententiâ (quanquam non ignoremus contrariam multos & magnos habere Patronos, prout videre est

apud Hartm. Pistor p. 2. q. 36. n. 1. seqq. Vulreji. l. 1. c. 9. n. 86. seq. Schrader. p. 7. c. 4. n. 83. Rosenthal. c. 7. concl. 44.

de quibus ferè nimis injuriose & audacter Petrus Heigius l. 1. q. 26. n. 8. loquitur, cum ait sententiam nostram, quam hic tuemur, tam firmis rationibus munitam, ut qui relictis hisce frugibus, adhuc glandibus vesci malit, vix inter prudentes hominibus locum tueri suum possit, & si præfractè adhuc veritati reluctari pergat, commiseratione magis, quam acriori castigatione dignus videatur) fœminam per existentiam masculi ob ordinis rationem semel non admittam haud propterea post-hac

hac in perpetuum submotam & exclusam intelligi, sed masculino excludente defuncto iterum admittendam, quia aliàs diligens primi acquirentis provisio, quæ est, ut feudum ad heredes, tam fœminas quam masculos, deveniat

*arg. 2. F. 18.*

inanis redderetur. Quo & facit secundò textus

*1. F. 8. §. 2.*

ubi dicitur, quod filia non succedat extantibus masculis. Ergò si masculi non extent, puta, si obtento feudo decefferint, admittendæ sunt fœminæ, ducto argumento à contrario sensu. Quod innuere etiam videtur ibi particula *Tunc*, quæ alias limitare solet dispositionem ad casum expressum & extremitatem temporis denotare.

*l. 4. §. 1. de cond. & demonstr. l. 33. de testam. tut.*

Textus imprimis rotundus ac disertus tertio pro hac sententia est in

*2. F. 17. junct. 2. F. 30.*

Quo loco perspicue traditur non patere locum fœminæ **DO-  
NEC** masculus superest ex eo, qui primus de hoc feudo fuerit investitus. Dictionis enim illius **DONEC** hæc vis est, ut non perpetuam submotionem atque exclusionem, sed temporalem suspensionem inducat, limitatam tempore quamvis incerto.

*l. 10. §. 2. de condit. furt. l. 1. §. pen. ff. de ventr. in poss. mitt. l. 4. §. si extraneus. 1. ff. de nox. act. cum similibus.*

Multis aliis rationibus sententiam hanc solidè firmant

Finckelthus. *Disp. Feud. 6. contr. 27. Suevus Ex. 6. affert. 7. Ludwell. Tr. de success. feud. c. 6. p. 284. Struv.*

C 2

cap.

cap. 9. aph. 8. n. 6. 7. Vultej. l. 1. c. 9. n. 52. seqq. qui pro hac ipsa sententia, quod femina semel exclusa non perpetuo exclusa maneat, aliquoties Collegium Jctorum in Academia Marpurg. respondisse testatur idque apparet *ex vol. 1. Conf. 20. n. 66. Conf. 23. n. 24. seq. vol. 2. Conf. 18. n. 52. Conf. 26. n. 63. in Conf. Marpurgensibus.* Addit quoque hanc opinionem humaniorem & tam Juri scripto, quam naturali justitiæ convenientiorem esse, quam se utpote veriorum & æquiorum aliquoties consulendo seutum esse, non attenda communi opinione dicit Fichard. *in addit. ad Villalob. lit. F. n. 29. nim. vol. 1. Conf. 6. n. 6. Conf. 14. n. 4.* atque eandem in judicando sequendam monet Wesenb. *de feud. c. 6. n. 23.* Hartm. Pistor. *d. q. 36. n. 11. seqq.* Heig. *d. q. 26. ubi n. 9.* secundum hanc opinionem etiam à Col. leg. Jctor. Wittebergenfium pronunciatum refert. Bechman. *Us. Pract. Jur. Feud. Ex. 8. p. 210.* ubi itidem præjudicia allegat. Carpz. *p. 3. c. 28. d. 15.* ubi pariter Lipsiensis Jctos ita aliquoties respondisse testatur. Beati Antecessores Inclitæ Facultatis Jurid. hujus Universitatis ap. Befold. *vol. 6. Conf. 265. n. 35.* Wurmser *de feud. impror. cl. 3. sect. 3. n. 97.* & multis seqq. qui omnes contrarias rationes etiam doctè confutant.

6. Cum igitur SEMPRONIUS anno 1670. CAJA adhuc vivente, sine masculis decesserit, adeoque causa exclusionis illius, existentia scil. masculi à primo acquirente descendenti, sublata fuerit, videtur etiam sublatus effectus, exclusio scil. ipsa, & jus ejus succedendi hactenus suspensum revixisse, quia cessante cau-

sa exclusionis & impedimenti etiam ipsum impedimentum & exclusio cessare debet.

*arg. l. ult. §. ait lex. 1. ff. de divort. Menoch. Conf. 331. n. 54. ubi in præced. n. 51. & 53. in terminis dicit, filiam exclusam conditionaliter, si fratri (velagnato) non superesset descendens, tantummodo intelligi exclusam, donec existit ipse masculus &c.*

Vi cujus resuscitati juris succedendi secundò CAJAM quidem 7. tanto magis SEMPRONII filix, SEMPRONIÆ, si illam lucis usura adhucdum frui contigisset, anteferendam fuisse videri posset, quod eodem gradu cum ipsa primo acquirenti fuerit juncta, in feudis autem succedentem non tam in ultimi possessoris, quam primi acquirentis locum hujus provisione succedere, in vulgus notum sit

*ex Gail. l. 2. O. 149. n. 3. Vultej. l. 1. c. 9. n. 209. seqq. ubi tradit, quod non solum in feudo ex pacto & providentia, sed & hereditario, tantum primo acquirenti succedatur, quodque feudum antiquum detur heredi primi acquirentis, etiamsi non sit heres ultimò defuncti, multorum autoritatibus id confirmans, deque communi testatus.*

His tamen non obstantibus verius esse existimamus, quod, si 8. CAJA & SEMPRONIA in vivis adhuc existens concurrissent, omninò exclusâ CAJA, SEMPRONIA ad successionem admittenda fuisset.

Nam licet primò cum successione legitimâ in feudis obtinente res ita sese habeat, ut non tam ex jure defuncti ultimi possessoris

ris pendear, quam jure succedentis proprio ex prima investitura quaesito nitatur, hicque non tam in locum illius, quam primi acquirentis succedere videatur, attamen quia ministerio ultimi possessoris feudum ad successorem defertur, idcirco & eadem rectè succedi dicitur, proximitasque in hac ipsa successione feudali non respectu primi acquirentis, sed ultimi possessoris defuncti consideratur, ita, ut qui huic gradu est proximior, 9. excluso remotiori, ad successionem admittatur. Patet id vel ex eo, quod si proximitatem primi acquirentis, non vasalli ultimò defuncti, respiceremus, liberi fratri ejusdem, utpote qui illis gradu proximior, primo acquirenti, non præferrentur, quod tamen fieri constat.

*ex 2. F. II. 2. F. 50.* quos textus in hanc sententiam, quod proximitas ex persona ultimi possessoris proximè defuncti, non etiam primi ejusdem feudi authoris, æstimeretur, inducunt, sicque concludunt Andr. Ifernias, Jac. de Belviso, Mart. Laudensis, Alvarottus, Præpositus *ad d. tx. 2. F. 50. it.* Zasius *de feud. p. 8. n. 5.* August. Beroj. *vol. 1. Conf. 68. num. 19.* Michael ab Aguirre *in Consilio Apologetico, quod de successione Regni Portugallia pro Rege Hispania conscripsit part. 1. Gabriel. vol. 1. Conf. 36. n. 14.*

10. Et quod in successione teudi proximus is dicatur, qui est proximus ultimo vasallo defuncto, non verò is, qui propiori gradu vel linea attingit ipsum, qui primo feudum acquisivit, tradit etiam

Schrader *p. 7. c. 7. n. 19.* eamque sententiam verissimam dicit



dicit & pluribus confirmat vol. 1. *Conf.* 3. n. 73. &

341.

Similiter tradit Vultejus majorem melioremque partem inter- II.  
pretum & Consulentium communissimè concludere, in succes-  
sione feudali proximitatem respectu ultimi possessoris defuncti,  
non autem respectu primi acquirentis, considerandam, cum-  
que qui ultimo defuncto gradu est proximior, ad successionem  
admittendum esse, excluso remotiori, in eum sensum multos  
allegans, quod docendo & consulendo eandem opinionem te-  
nuerint, illamque usu observari, se experientia Practica edo-  
ctum testari posse ait

*l. 1. cap. 9. n. 233. & vol. 4. Conf. Marp. 22. n. 10.*

Pariter scribit Rosenthal. *cap. 7. concl. 57. n. 10.* hanc esse com- 12.  
munem atque indubitam & veram opinionem, contrariam  
autem, quæ *Hottomanni* fuit, absurdam & communiter reprobata-  
tam. Adstipulantur eidem verissimæ sententiæ proximitatem 13.  
ex ultimò defuncto æstimanti

Hartm. Pistor. *p. 3. q. 23. n. 23. seqq.* ubi eam plenissimè  
deducit refutatis contrariis. Gothofr. Anton. *Disp.*  
*Feud. 5. th. 7. lit. H.* Dominicus Arumæus *Disp. Feud.*  
*6. th. 29. & 31.* Schultzius *Synops. Jur. Feud. c. 8. n. 147.*  
Ludwell. *Synops. c. 10. p. 222. & rr. de Succes. feud.*  
*c. 4. p. 216.* Cothman. *vol. 3. Resp. 35. n. 19. seqq.* ibi-  
que magno numero allegati, testatur verò & ipse ibi-  
dem *n. 24.* hanc esse communissimam Interpretum  
sententiam, & eam in Supremo Imperiali Tribunali &  
in aliis inferioribus Curiis & Judiciis servari, quam  
approbarunt proinde etiam Beati nostri Antecesso-  
res *ap. Besoldum p. 6. Conf. 265. n. 17. seqq.*

Cum

14. Cum itaque SEMPRONIA in proposito casu Patri suo Sempromio tanquam ultimo defuncto masculino in gradu primo & quidem in primo succedentium ordine juncta fuerit, merito præferenda fuisset CAJÆ, quæ saltem in tertio gradu ultimò morienti Vafallo conjuncta fuit, juxta computationem JCilis, quæ ut in allodialium, ita & in feudaliū bonorum successione respicienda ac attendenda, Jurisque Canon. computationi omnino præferenda, eò r. quod hæc communiter primum introducta censeatur c. 2. c. 35. q. 5. qui canon sub Alexandro II. Pontifice anno Christi 1061. creato modò promulgatus, Jus succedendi Collateralium in feudis autem jam per Conradum Salicum anno Christi 1027. introductum sit. r. F. 1. §. 2. non possit igitur Computatio in success. feudali institui secundum Jus Canon. quod demum 30. & plures annos post constitutum. Secundò quia ipsum Jus Can. sese refert ad Jus Feudale t. r. x. de feud. Unde Jus Feudale prius Jure Canon. fuisse fuit, consequenter graduum computatio non secundum Jus Canon. sed secundum JCile, quod Jure Feudali prius fuit, facienda in successione feudali, quod & evidentè probant

*xxx. 2. F. 37. j. 1. F. 1. §. 4. & 1. F. 8. 2. F. 26. §. si vafallus. 2. F. 31. Rhet. in Comm. Jur. Feud. p. 118. Ludwell. rr. de Success. feud. p. 217. Struy. c. 9. aph. 7. n. 9. Finckelthus. Disp. 6. th. 38. Add. Rosenthal. c. 7. concl. 57. n. 9. 10. seqq. & in Glos. lit. G. H. & I. asserens, hanc sententiam usu & consuetudine plane universali corroboratam & munitam, ac à Camera Imperiali observari solitam, nunquam ferè ante hæc nostra tempora in dubium vocatam fuisse, quam & Christi-*

nius

næus *vol. 6. Decif. Belgic. 55.* annis abhinc 54. quibus tanquam Advocatus & Consiliarius in Praxi versatus sit, Curias Supremas tam feudales, quam alias semper in iudicando absque ulla contradictione securus fuisse testatur.

II. Et si supponamus CAJAM post mortem Patris sui per 16. existentiam SEMPRONII, ceu masculi ex primo acquirente descendens, exclusam, non in perpetuum exclusam ac remotam, sed ejusdem jus succedendi saltem suspensum esse, agnoscimus enim illam sententiam verissimam esse per rationes superius allegatas & à laudatis Dd. latius deductas; Attamen hæc nondum extitit casus, quo hoc ipsius CAJÆ suspensum jus succedendi reviviscere vel resuscitari potuit; Translatum enim est feudum quæst. per illam CAJÆ exclusionem à SEMPRONIO ex prærogativa sexus masculini factam in aliam, SEMPRONII nempe, lineam, penes quam proinde, etiam secundum illorum, qui foeminam semel exclusam non in perpetuum exclusam esse nobiscum statuunt, sententiam, tam diu remanere debet, quam diu aliquis sive masculus sive foemina ex ea superest, & lineam eam tam in foeminis quam in masculis extinctam demum casus existit, quo jus ipsius CAJÆ suspensum resuscitatur ac reviviscit. Notum namque est successionem feudalem non tantum secundum proximitatem gradus, sed vel imprimis secundum proximitatem lineæ deferri, & si qui in illa linea, quam feudum semel ingressum est, supersint, qui feudi capaces, ex alia neminem, nisi sexus prærogativa gaudeat, admitti, sed in illa

D

con-

constitutos omnibus aliis, etsi gradu forte propioribus, ex lineæ prærogativa præferendos esse.

*2. Feud. 50. ibi Interpretes.*

17. Quibus consequenter, SEMPRONIO ultimo possessore feudi quæst. mortuo, non potuisset admitti, & relicta ab ipso filia SEMPRONIÆ præferri antea per eundem ex sexus masculini prærogativâ exclusa CAJA, quia SEMPRONIA non modo ratione gradus, sed & ratione lineæ proximior illi prævaluisset.

18. Confirmat hæc egregie *Rosenthal. c. 7. concl. 44. n. 19. 20. ubi inquit*: Si masculus ille, qui sceminam exclusit, filias fortasse relinquat, vel neptes hæc alteri illi sceminæ per eum exclusæ præferentur &c. Et hoc quod de filiabus aut descendens istius masculi excludentis dixi, etiam procedit, si hanc regulam: scemina semel exclusa semper manet exclusa, non, sed Laudensis, eam non perpetuo exclusam manere censentis, opinionem sequaris, nam quia tum gradus proximitas respectu hujus masculi ultimo detuncti consideratur, certe ejus descendentes, etiam scemina, forori ipsius præferuntur ex jure communi & feudali &c. His gemina sunt, quæ tradit supra allegatus Menochius *cit. Conf. 331. n. 54.* cujus integra verba ita habent: scemina exclusa intelligitur exclusa, donec existat ipse masculus vel alii ab eo descendentes, illis autem deficientibus ipsa admittitur.

Sed firmata hæc tenus insimulque à contrariis vindicata de-  
19. ciso pro SEMPRONIA obtinebit, quoad integrum feudum, si illud vel à scemina vel à masculino tantum, eo cum pacto ac-  
qui-

quisitum fuerit, ut fœminæ etiam deficientibus masculis succedant. Quod si vero illud ipsum a masculo & fœmina simul simpliciter quæsitum fuisset, tantum in dimidia parte SEMPRONIA succedere potuisset, quia quando masculus & fœmina simul de eodem feudo uno actu investiuntur, feudum istud pro parte dimidia, quæ masculo cessit, masculinum, pro altera parte dimidia, quæ fœminæ acquisita, fœmininum est, hujus ergo dimidiæ partis, quæ fœminæ feudi naturam accepit, successio SEMPRONIÆ morte patris delata fuisset, si vixisset, ejusque tantum capax ipsa extitisset, alterius verò dimidiæ partis, quæ feudi masculini qualitatem induit, eadem incapax fuisset, proinde ista, eâ exclusâ, ad Dominum rediisset

*per text. 2. F. 85. & 104. quæ capitula quidem extraordinaria sunt, quia tamen nihil continent, quod capitulis ordinariis, & rationi ac analogiæ Juris feudalis sit adversum, recte huc allegantur.*

nisi in prima investitura masculo & fœminæ factâ expresse dictum esset, quod integrum feudum & adeo tam masculi, quam fœminæ portio ad fœminas, masculis deficientibus, pervenire deberet.

Succedit Quæstio tertia:

Uter ex duobus illis masculis ex CAJA & SEMPRONIA natis potiori Jure gaudeat, & alteri in successione feudi istius præferendus

D 2

ME-

MEVIUS ne JULIO, an contra JULIUS ME-  
VIO?

I. Quæ ex iisdem plane fundamentis ac rationibus, quibus præcedens secunda, suam quoque accipit decisionem pro defunctæ SEMPRONIÆ relicto filio JULIO, quod videlicet ipse, tanquam ultimi possessoris ex prædefuncta filia unica nepos, in linea rectâ, secundo gradu illi junctus, omnino præferendus MEVIO, CAJÆ filio, ultimo defuncto Vafallo SEMPRONIO per transversam lineam longè remotiori gradu juncto, quem tam ratione lineæ, quam ratione gradus proximiori JULIO præponi Juris Feud. analogia nullo patitur modo, vi dictorum ad præcedentem quæstionem.

2. Quod autem circa eandem monuimus eo de casu, si masculus & fœmina simul primitus de feudo quæst. forte inventus fuisset, tum nim. SEMPRONIAM tantum in dimidia parte succedere potuisse, id & hic applicatum volumus ad JULIUM, ut nimirum si hoc forte contigisset, ut masculus & fœmina simul ab initio feudum acquisivissent, & ipse eeu ex fœmina prognatus saltem dimidiam partem feudi qualitatem feudi fœminini nactam, jure petere, sibi que vindicare posset

*per eosd. lxx. 2. F. 85. 104.*

Hæcque pluribus hic iterum deducere, ac cum fastidio repetere, præsertim ubi res clara, meritò super-  
sedemus, & resolutioni nostræ Colo-  
phonem imponimus.

COR-

## COROLLARIA AD FUGAM VACUI ADJECTA.

### I.

**A**syła salvo pœnarum Jure admittuntur & in omnibus populis ac nationibus sine ullo religionis discrimine usitata & consueta semper fuerunt, atque etiamnum certo modo sunt.

### II.

In Imperio nostro Romano - Germanico Imperatorem gavisum esse, & gaudere adhuc potestate Asyła erigendi, dubitare nos non sinunt tot Germaniæ loca, tam religiosa, quàm prophana & secularia, quibus Asyli jus Imperatores attribuerunt, atque hinc homicidis, aliisque delinquentibus tutum Præsidium præbent, inter quæ magno numero relata a Mylero *de Asylor. jure c. 6.* imprimis occurrit vicina Civitas Imperialis Reutlinga, quæ hoc Privilegio, Imperiali munificentia originis ferè nescia, condecorata, quod ipsi confirmavit Maximilianus I. Imperator anno 1495. cujus confirmationis tenorem exhibent *Limn. Tom. 1. addit. ad lib. 7. c. 42. pag. 298.* *Knipschild de Jurib. Civitat. Imper. l. 3. c. 44.* *Lunig. Reichs - Archiv. Part. Spec. Continuat. 4. sub Reutlingen N. 9.*

D 3

III.

### III.

Statibus Imperii quoque quin omninò competat facultas vi superioritatis territorialis in ditionibus & territoriis suis loca quædam Asyli jure donare ac munire, ita, ut non tantum ipsorum subditi, sed etiam forenses & advenæ in ipsorum territorio delinquentes ad illa confugere, & ibi tuto receptaculo frui queant, haud dubium, vix tamen est, ut sic in suis territoriis Asyla erigere valeant pro peregrinis ac advenis, ut ipsi omnimoda ibidem securitate gaudeant, si extra territorium illorum deliquerint, in proprio nim. Dominorum suorum, quorum sunt subditi, territorio.

### IV.

Asyla patrocinari, tutumque refugium & receptaculum minimè præbere debent voluntariis & dolosis homicidis, **den muthwilligen vorsâslichen Todtschlagern**/ aliisque ex proposito, consilio & industriâ delinquentibus, sed solum iis, qui vel culpâ vel casu, contra intentionem suam & voluntatem, eadem commiserunt, vel aliud delictum perpetrarunt; Unde non culpandum aut improbandum, sed potius laudandum Reverendissimi ac Serenissimi Domini Episcopi Osnabrugensis factum, quo ipse prioris generis homicidam, qui die 7. Junii ann. 1716. commissa cæde in Monasterium Dominicanum confugit, post varias autem interpellationes de eodem extradendo, tandem inde d. 27. dict. mens. & ann. ne se plane Justitiæ & promeritæ subduceret pœnæ, manu forti & militari extrahi jussit, & admissum ab eo crimen debitâ ac condignâ vindicavit pœnâ, habita ratione circumstantiarum facti, ac quatenus hæ probari adhuc potuerunt, vel nequiverunt amplius, ob quorundam arreptam intereâ fugam, de quo Vid. Electa Jur. Publici Tom. XIV. Num. I. & VIII.

V. Non



V.

Non debent quoque Asyloꝝ securitate frui, qui in loco privilegiato, in *der Freyheit selbst* / deliquerunt.

VI.

Neque eorundem securitas porro ad eos pertinet, qui jam capti per territorium Asylo privilegiatum ducuntur, ibique ad locum Asyli jure munitum, vel Magistratum confugiunt, uti nec ad eos, qui jamdum carcere mancipati, eo effracto, ad locum Asyli jure donatum se conferunt ac perveniunt.

VII.

Quid dicendum de consuetudine, qua securitatem & poenae remissionem obtinent delinquentes, si se ad latus vel currum Principis sistant, aut currui vel equo ipsius, quo vehitur, in solenni introitu ejus, cum subditos sibi homagio vult devincire initio suscepti regiminis, vel cum novam nuptam in Aulam solenniter deducit, *bey der Fürstlichen Heimsführung Seiner neuen Gemahlin* / inhæreant, & una cum Principe Civitatem, ex qua relegati erant, propter delictum commissum, introeant, an toleranda? Distinguendum videtur inter delicta leviora culpâ saltem, non dolo, commissâ, & inter crimina atrociora, nefanda atque excepta ex proeresi delinquendi perpetrata. In illis levioribus tolerari potest, quia ut olim Asyla merebantur, etiam Jure divino, ita etiamnum remitti possunt propter introductionem illam, quæ intercessionis vice fungitur. *Glossa in l. 23. ff. de aqua & aqua pluvi. arcend. ibi: autoritas majoris excusat in illicitis.* Tiraquel *de panis temperand. caus. 34. n. 5.* Quin imo Princeps reo tali remittere videtur poenam, siquidem ad latus ejus se sistens proprius ejus est subditus, sin extraneus est, intercessio Principis suum etiam operatur effectum. Delicta atrociora & recepta

excepta per introductionem ejusmodi remitti, nec recta juris ratio, nec vigor disciplinæ publicæ unquam pati vel admittere potest, tùm quod Jus Asyloꝝ delicta proæretica, ut dictum, non complectatur, tùm quod ipsa omni juri, etiam divino, cui & Princeps subest, exosa & abominanda sint. Dd. in *l. 3. C. de Episcop. audient.* ubi textus ait, turbari lætitiæ & gaudia hominum, quoties dimittuntur impuniti criminosi. Vid. Stryck. *tr. de Jure sensuum. Diss. 7. de tactu cap. 3. n. 25. seqq.*

VIII.

Jus restituendæ famæ etiamnum hodie est Reservatum Imperatoris, à solo illius arbitrio dependens, sine discrimine, an mediatum, vel immediatum sit, qui pristino honori ac famæ restituendus, secus atque non nemo existimat, qui posteriori in casu negotium Comitiorum esse tradit per Capitulationem Leopold. *art. 28.* Joseph. *art. 27.* qui art. nil minus, quam id probât.

IX.

Quamvis autem Status Imperii quoque jure restituendæ famæ gaudeant vigore Superioritatis territorialis, illa tamen restitutio effectum extra restituentis territorium haud habebit, si publica Imperii lege quis infamis declaratus fuerit, secus tamen erit, si saltem per legem Provinciam infamia iniusta, quo casu verissima est Per-Illustris Dn. Lynckeri sententia in analectis ad Dn. Præsidis *Introducet. in Jus Publ. Part. Spec. Sect. 1. c. 16.*

X.

Effectus restitutionis famæ est abolito infamiæ & recuperatio amissorum jurium, & bonorum quandoque à fisco occupatorum, an autem restitutus ex gratia Principis ad bona, recuperet quoque fructus interim à fisco vel alio perceptos? disceptatur. Nos negativæ subscribimus. *arg. Authent. Idem est de Nestorianis. C. de heret. & Ord. Cam. p. 3.*

*t. 46. §. 2.*

ULB Halle

3


003 948 390



*sb.*







10  
1721, 116  
10  
S PRACTICUS  
IN PUNCTO

# ONIS FEUDALIS O FOEMININO.

RESOLUTIONEM  
LOCO

ONIS INAUGURALIS <sup>12</sup>  
VINI NUMINIS GRATIA  
IMI JCTORUM ORDINIS IN PER.  
AC ILLUSTRISSIMA

## HARDINA PRÆSIDIO

IMI, CONSULTISSIMI, ATQUE  
ELLENTISSIMI

## LIS SCHWEDERI,

is, Sacr. Cæsar. Palatii Comititis,  
Consiliarii, atque Primarii ex Jctorum or-  
onum Tribunali Assessoris, Placito um  
ublici Professoris Ordinarii, nec non  
is Magnifici Universitatis  
Tubingensis.

RONI SUI OMNI HONORIS CULTU  
NON DEVENERANDI

## LICENTIA

LOQUE JURE HONORES  
DOCT. RITE ET LEGITIME  
APESSENDI

Martii Anni MDCCXXI.

auditorio consueto  
auditorum examini submittit.

## NRICUS TAFEL, Tub.

CUNRADI REISII, Viduæ.

Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

B.I.G.

